loquio eas occludendo. Circumcidamq linguam jubemur, eam compescendo, ne nihil proferat, nisi quod in honorem Altissimi, in patrocinium veritatis, inq emolumentum proximi vergat; Circumcidamus oculos jubemur, praecavendo ne videant vanitatem, aut aliis invideant. Circumcidamq pedes jubemur, eos cohibendo, ne ferociter currant ad malorum conciliabula; manus denig circumcidamq jubemur, eas retinendo, ne rem alienam invito dno contrectent. Haec, haec optima Circumcisionis Spiritualis ratio est, quam quisq bonq eligat, quisq probus adhibeat, omni Circumcisione carnali explosa, Spirituali autem illa unicè arreptâ, quam breviter per partes descripsi.

Dum autem satis verborum fecisse mihi videor, oratiunculae meae Coronidem impono, preces simul eas ardentissimas ad Jesum Puerum circumcisum fundo, ut is Spiritu suo Sancto nos circumcidat, ut incendat in cordibq nostris circumcidendi ardorem, nosq spiritualiter circumcisos in haeredes vitae aeternae adoptet. Tibi a. quod superest, pie JESULE, decentes agimq habemusq gratias quod circumcisione tua à jugo Legis nos liberare, quod veritatem carnis tuae eâdem nobis demonstrare, quod Exemplo tuo in studio obedientiae nobis praeire voluisti. Confirma in nobis fructum hunc Circumcisionis tuae, omniq opq fidei in virtute nostrâ comple, dum tibi laus, honor, et gloria in sempiterna Secula.

D I X I

Josias Neander Schönberg: Lusatq.

DECLAMATOR 1.

Illi, Auditores omnium Ordinum Spectatissimi, illi, inquam, qui ad mercatione Audium aium appulerunt, quoties rem caram maximiq pretii de aliis mercantur, non extemplò ad nummum usq omnem pecuniae summam solvunt, sed successivè potius et distinctis vicibus solutionem expediunt. Pari ratione aeternus ille, unigenitus, unicè dilectus Dei Filius, summus salutis nostrae Assertor, animarumq Redemptor, solutionem, non quidem aere, non argento, non auro, neq preciosis gemmis, sed suô ipsius sanguine pro nobis peccatoribus è potestate Satanae, quâ captivi tenebamur, redimendis, non tam simul et semel, quam